



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Brynolphvs Ep. 6. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

machinabantur, oculis amissis facinus suum, & cum hoc, post preces illius, diem iterum viderunt. Femina quoque lucem restituit, cum primam arborem illa aggressa est excindere, quam divinis antè honoribus (cæca utique) coluerat. Mortuum Aldegundi, virgo in cæli m. vidit deduci ab obviâ candidatorum turbâ, audiitque eos hos esse, quos verbis vitæque exemplis prior ipse cælo transmississet. Nimirum hæc denique generosa indoles est, hi digni homine spiritus, nolle solum, sed cum comitatu, & clientelis cælum ingredi. *Ex Milo. Monacho.*

*Qui sperat in Deum, ac toto corde in ejus gloriam luminum suorum defigit aspectum, ad inanisissimas vanitates consecratos semel Deo non debet oculos retorquere. S. Max. hom. de Circumcis.*

S. BRYNOLPHVS EP. 6. Februarij.

**N**atales BRYNOLPHVS domi nobiles foris amplius nobilitavit. Lutetiam Parisiorum profectus egit Musas inter ipsos duodeviginti annos, nec invito Apolline. Siquidem hic doctrinam ejus Scarenfi insulâ coronavit. Tantùm abest, ut generis splendori officiat Musarum commercium. Quin imò literatæ huic insulæ armatam coronam Rex Magnus Ladelos submisit, quando BRYNOLPHO ad genua supplex palâm descendit, & mensæ adhibuit. Sed quid virtutis testem hominem adduco, cum cælum habeam. Precantem ad tumbarum BRYNOLPHI D. Brigittam suavissimi odores afflarunt. Miranti supervenit cum ipso BRYNOLPHO FILIOQUE MAXIMO MATER MAGNA, & *His* (simul oculis digitoque BRYNOLPHVM loquebatur) *hic est, dixit, qui me dum vixit, vitâ chariorem*  
D 2 *habuit*



habuit, Flosculum hunc tu ex odorum reliquiis, quas in terris reliquit, estima. Et tamen (ad Filium hæc dicebat) gemma hæc tumulo ignobili abdita pulchrius nitere prohibetur. Quin amplius co'is, qui tantum te, tantum me coluit? Quid Matri Filius negaret? promisit tunc ossibus sacris eum honorem, quem postea ab altero Episcopo tulerunt. Ego quid hinc exclamem? utinam me omnes audiretis MARIA Sodales! O quam pulchrum est digito Virginis monstrari! quam pulchrum dicier: HIC EST! Ex *Vite Aquilon. Ioan. Vastov.*

*Celestis Pater probat muneribus charitatem. Filium se nescit, visceribus caret, naturam negat, ingratus est patri, qui auctorem vita sua non placat obsequiis, non devincit cultu, muneribus non honorat. S. Pet. Chryl. serm. 10.*

## S. THEODORVS M. 7. Februarij.

**V**Nã virtute Christianã armatus THEODORVS Centurio patriã terrorem draconem confecit. Et erat hoc pugnis majoribus præludere: monstrum alterum majusque Licinius Imp. imminabat. Hic sive quod eam fortitudinem in milite amaret, sive, quod invideret Christiano, ad se THEODORVM evocavit. Quin, cum hic nuntiasset, si ad se ipse Imp. cum Diis suis accederet, fore ut hos merito honore coleret, non dubitavit Licinius, ut superstitioni virum tantum adderet, iter ad illum instituere. Interea cælum pandi videbatur THEODORO, atque inde prodire, qui telis igneis dormientem configerent, vox quoque quomodam allapsa: *Macte animo Theodore; quando ego tibi adero.* Facile sibi ipse THEODORVS hæc somnia, sine alio augure, explicuit, vocemque cæli

cla sici